

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exegesis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

donec reddiderint novissimum quadrantem, Matth. 5. v. 26.

Qui verò verâ pœnitentiâ & contrito corde ad Christum sese recipiunt, sicut peccatores & publicani in Evangelio, illos cum gaudio suscepturus, & princeps eorum futurus est, h. e. proteget & defendet eos, adversus omnes hostes, & ex omnibus calamitatibus eripiet, tandemq; eò deducet, ubi non ultra audietur vox fletus & vox clamoris, Esa. 65. v. 19. sed vitam habeant, & abundantius habeant in æternum, Joh. 10. 10.

Nos sine longiore præfamine, ad ipsum Evangelium nos conferemus tractaturi, pro ratione instituti.

I. Ἀνθραπολογία, sive notitiam nostri.

II. Χριστολογία, sive notitiam Christi.

J. J.

Exegetis.

Cum Deus in montem Sinai descensus & legem laturus esset, præmoneri jussit populum, ne quis nimium appropinquaret ad montem, imò Moses constituere tenebatur terminos populo, per circuitum, ne quis adscendere in montem, & tangere fines illius posset, omnis enim qui montem tetigerit, dicebat Dominus, morte morietur, Exod. 19. v. 12. Sed in prælecto Evangelio percipimus, quòd Filius Dei publicanos & peccatores in gratiam recipiat, qui ipsi appropinquant. Quin adhuc in hodiernum diem, omnes, qui laborant & operati sunt, ad se vocat, eosdemq; se referentur esse, pollicetur, Matth. 1. v. 28. Lex enim per Moysen data est: gratia & veritas per Jesum Christum facta est, Joh. 1. 17.

Notitiam nostri hinc discere poterimus, quando perpendimus:

I. *Publicanorum respicientiam.* Erant

enim appropinquantibus ei (Christo) omnes publicani & peccatores.

Duorum generum personæ hic exprimentur, qui Christo appropinquerunt:

1. *Publicani*, hi erant improbilissimi forneratores & Usurarii, qui vectigalia à Romanis Præsibus certo pretio conducebant, eaq; adeo exaggerabant, ut non modò expensas reciperent, sed & ingentem quantum facerent, hinc opulentissimi evadabant, & ingentes pecunias corradabant. Judæis verò maximè exosi erant, qui propterea commercium cum illis non habebant, id eò Christus de eo, qui omnem admonitionem spernit, ait: Sit tibi, velut ethnicus & publicanus, Matth. 18. v. 17.

2. *Peccatores.* Hi erant homines facinorosi, qui in enormibus peccatis vixerant, iisque adeò immergi erant, ut propterea Synagogis exclusi excommunicarentur, sicut mulier peccatrix, Luc. 7. v. 17. Ideoque hic dicitur, fuisse omnes, sive omnis generis peccatores, qui non uno modo, sed multifariam deliquerant, fornicarios, fures, mendaces, perjuros, & si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, 1. Tim. 1. v. 10.

Hi homines igitur ad Christum se contulerunt, non ex curiositate, ut novellas perciperent, sed ut audirent illum, & ex ejus concionibus solatium haurirent, contra peccata, cujus stimulos adeò in conscientia sentiebant, ut quo confugerent, nescirent. Alligatum erat jugum iniquitatum eorum, & impositæ erant cervicibus eorum, Thren. 1. v. 14.

Hic velim excutias te, an sensu peccatorum tuorum conturbatus fueris, & Christum corde contrito accesseris?

Hoc certissimum est, nos omnes peccasse, & egere gloriâ Dei, Rom. 3. v. 23. *Noah* pecca-

peccavit per ebrietatem, Gen. 9. 22. **Loth** per incestum, Gen. 19. 33. **Aaron** per idololatriciam, Exod. 32. 4. **Moses** per diffidentiam, Num. 11. 21. **Eli** per indulgentiam, 1. Sam. 2. v. 29. **David** per adulterium & homicidium, 2. Sam. 11. 4. 15. **Johannes** per impatientiam, Hiob. 3. 3. **Jonas** per inobedientiam, Jon. 1. 3. **Petrus** per abnegationem, Matt. 26. 70. **Paulus** per persecutionem, Apoc. 9. 1. Summa: Dominus de caelo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens, aut requirens Dominum, omnes declinaverunt, simul abominabiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est, usque ad unum, Ps. 14. 2. 3.

Sed deplorandum est, quod plurimi hanc miseriam non sentiunt, sed sunt ἀπληγῶν ἁμαρτιῶν, planè obturati in peccatis, sicut, qui graviter laborat, manus callo obducitur, ut tandem nihil sentiat, Eph. 4. 19. ideoque nullo auxilio sublevari possunt, si enim dixerimus, peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, 1. Joh. 1. v. 8. 9.

Veri Christiani cum publicanis & peccatoribus Christo appropinquare debent,

1. *Contritione seriâ*, ut peccata non modo ex lege agnoscant, sed & deplorent, & seriò de eis doleant.

Infans in utero materno conclusus nondum flet, juxta communem ordinem, quia miseriam suam nondum sensit, in lucem verò editus, & erumnam sentiens, primam vocem emittit plorans, Sap. 7. 3. Sic quando adhuc sumus in utero ignorantie, ut Tertullianus loquitur, & periculum nostrum, in quo versamur, nondum agnoscimus, ac si omnia rectè gesserimus, opinamur: quando verò malum deprehendimus, in quod incidimus, contritio quòque sequitur, & cum contritione fons lacrymarum propullulat, sicut in Petro factum videmus, Matth. 26. v. ult.

Hæc necessariò præcedat necesse est, si gratiam & remissionem peccatorum impetrare velimus. Convertimini ad me, dicit Dominus, Joël 2. v. 12. 13.

Athenis ara erat, quam cives Deæ Clementiæ consecraverant, in quâ præter lacrymas nihil sacrificari licuit, opinabantur enim per nihil æque ac lacrymas gratiam & misericordiam Dei impetrari posse. Quod si igitur Athenienses ethnicis suis lacrymis tantam vim tribuerunt: quantò magis Deus, qui misericordissimus est, lacrymis penitentiae & orationis fidelium suorum ad misericordiam commovebitur, voluntatem enim timentium se facit, Ps. 145. v. 19.

2. *Fide indubiâ*, ut non desperent in peccatis suis, sed Christum cum sanctissimo merito, quod pro totius mundi peccatis præstitit, apprehendant, 1. Joh. 2. 2. *Nemo potest agere penitentiam, nisi qui sperat indulgentiam*, Ambrosius. Propterea Judas desperans condemnatus est, Matth. 27. 5.

Adhuc hodie desperare debet, quasi resina non sit in Galaad, quâ cicatrix ejus obduci possit, Jer. 8. 22. Ubi enim abundavit delictum, superabundavit & gratia, Rom. 5. 21.

3. *Nova obedientia*. Ut peccata ulterius non regnent in mortali corpore, Rom. 6. v. 12. sed quiescant agere perversè, & desinant benefacere, Esa. 1. v. 17. *Non enim profunt lamenta, si replicantur peccata*, ut Augustinus ait: Si impius egerit penitentiam, ab omnibus peccatis suis, &c. Ezech. 18. v. 21.

Si ita appropinquaverimus Deo, appropinquabit nobis, Jacob. 4. v. 8. & projiciet in profundum maris, omnia peccata nostra, Mich. 7. v. 19.

II. *Christi benevolentiam*, qui peccatores hos recipit, & manducat cum illis. Pharisei & Scri-

& Scribæ ipsis aqua & igne interdicebant, se enim justificabant, alios damnantes. Non sicut cæteri homines, Luc. 18. v. 11. Sed Christus eosdem recipit, quando ad se appropinquant, & quærit conversionem eorum, instar pastoris, qui ovem perditam tandem quærit, donec reperiat. Ezech. 34. v. 16.

Hic velim probes te, utrum pari affectu in proximum delinquentem affectus, eundem in gratiam receperis, eique culpam, qua te lesit, condonaveris?

Hic multi deficiunt. Plerique enim hominum irreconciliabiles sunt, & iracundiam conceptam difficulter amittunt, sed potius vindictam quaquâ occasione quærunt. Sed perperam! Si Deus ita nobiscum agere vellet, quis nostrum in gratiam recipi possit? Ne despicias hominem, avertentem se à peccatis, neque improperes ei: memento, quoniam omnes in corruptione sumus. Sir. 8. v. 6.

Noah vino temulentus, in tentorio nudus jacebat, hoc videns filius ejus minimus Cham illudebat ei, propterea quoque maledictione oneratus fuit, quæ posteris ejus adhæsit. Sem verò & Japhet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt pudenda patris ejus, quod ad eorum æternam gloriam scriptum est, Gen. 9. v. 21. 23.

Hinc discimus, quomodo affecti debeamus esse, quando proximus noster præoccupatus fuerit in aliquo delicto, Gal. 6. v. 1. Non videlicet voluptatem in eo quæramus, sicut impius Cham, aut divulgemus: sed ut Sem & Japhet operiamus ea, eundemque instauremus in spiritu lenitatis, Gal. 6. v. 1. Et postquam conversus est, ad exemplum Christi cum ipso conversemur, edamus &

bibamus, quasi nunquam lapsus fuisset. Si quis erraverit à veritate, & converterit quis eum, scire debet, quoniam, qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus à morte, Jac. 5. v. 20.

III. *Parabola evidentiam, Ovis & Drachmâ amissis, quâ Christus miserrimam conditionem nostram depingere voluit, in quam per peccata incideramus.*

Sicut enim ovis simplicissimum animal est, nec, quando aberravit, à seipso ad gregem redire potest. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Esa. 1. v. 3. sed ovicula sine duce & pastore stabulum suum invenire nequit: Ita cum nobis comparatum est, ut naturâ omnes, quasi oves erremus, Esa. 53. v. 6. non percipientes ea, quæ sunt spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. Ideo Christi auxilio hic opus est, qui pastor magnus ovium, Hebr. 13. v. 20. imò pastor & Episcopus animarum nostrarum, 1. Petr. 2. v. ult. Qui in mundum venit, salvare, quod perierat, Matth. 18. v. 11. quod & opere ipso probavit, siquidem non tantum mortuus est pro gente: sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret, Joh. 11. v. 52.

Quemadmodum & Drachma habet imaginem & inscriptionem ejus, qui eam cudi fecit, Matth. 22. v. 20. Quando verò amissa est, seipsam restituere nequit, sed expectare cogitur, dum requiratur: Sic quidem in Protoplastis omnes ad imaginem Dei creati sumus, ut numisma gratiæ & delectamentum SS. Triados essemus: sed per peccata imaginem Dei amisimus, nec restitui potuimus, donec Christus nos resperxerit, & drachmam hanc amissam requisiverit. Propterea orat Jeremias: Convertetur me Domine, & convertar, Jer. 31. vers. 18. Sana me & sanabor. Jer. 17. v. 14.

Hoc

Hoc ita breve delineamentum & idea est miseræ, in quam per tristem Protoplastorum lapsum conjecti sumus.

Quilibet hic examinet se, utrum & ipse à grege Christi aberraverit, per varia peccata & injustitiam, ut ovi perdita aut drachma amissa comparari possit?

Sanè in mundi his reliquiis ita res cadit, ut juxta Christi verba, non unus de centum amittatur, & nonaginta novem conserventur: sed cum nonaginta novem disperduntur, vix unus servatur, ut sat causæ habeamus querendi, Defecit sanctus. Psal. 12. v. 1.

Ecclesia Christi est pusillus grex, respectu filiorum hujus seculi, Luc. c. 12. v. 32. in eo tamen multæ oves perditæ reperiuntur. Hæc abscondit se in *cauponâ*, cum potentibus ad bibendum vinum, Es. cap. 5. vers. 22. Ista in *lupanas* sese abdidit, ut vir Israëlita cum Madianitide, Num. cap. 25. vers. 6. seqq. sive *intra vepres calumniarum*, uti Doëg, cujus lingua, sicut novacula acuta fecit dolum, Psalm. 52. vers. 4. & Abimelechum Sacerdotem ita traduxit apud Saulem, ut capite plecteretur, 1. Sam. 22. vers. 8. 9. Multæ versantur *intra septa securitatis*, velut Sodomitæ, quibus Lothus de interitu loquens, quasi ludens videbatur, Gen. c. 19. v. 14. sive posuerunt mendacium spem suam, Esa. cap. 28. vers. 15. & putant, quando ore dicunt Domine, Domine, Matth. 7. vers. 11. se Deum fraudulentis suis decepturum, ut hominem. Job. cap. 13. vers. 9. & qui plures ejusmodi secessus sunt, in quibus multi delitescunt, & denuò gregem relinqvunt, postquam à Christo restituti sunt. Hi in statu periculosissimo versantur, & facile à lupo infernali dila-

niari possunt. Voluntariè enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis &c. Hebr. 10. v. 26. 27.

Suspitemus proinde cum Davide: Erravi, sicut ovis, quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus, Psal. 119. v. 176.

De Secundo.

Accedemus nunc ad alteram partem, *Χριστογνωσίαν*, sive notitiam Christi contemplaturi. Hic nobis in præfente Evangelio considerandus proponitur:

I. *Tanquam peccatorum susceptor*, non enim ratione ejus dici potest: Quod moritur, moriatur, & quod succiditur succidatur, Zach. 11. v. 9. sed ipse oviculam perditam inlequitur, eamque tamdiu investigat, donec inveniat eam.

Hæc magna est *φιλανθρωπία*. Imperator Titus, ob magnam humanitatem, *delitiæ generis humani*, item *amor orbis*, appellatus est.

Imperator Trajanus in Urbe circumivit, invisendo infirmos, quod & Hadrianus & Gratianus fecerunt; Sed de Christo multo æquius affirmare possumus, quod sit gratiosissimus filiorum hominum, Psal. 45. v. 3. gaudium omni populo, Luc. c. 2. v. 10. imò desiderium omnium gentium, Hagg. 2. v. 8. Nullus Gratianus ipsi par fuit. Ab ejus enim plenitudine accipimus omnes *gratiam pro gratiâ*, Joh. c. 1. v. 16.

In principio cum Protoplasti in peccata incidissent, insequeretur eosdem, & dicebat: Adam ubi es? Gen. 3. v. 9. *In diebus carnis suæ* pertransiit Judæam & Galilæam, & tanto studio quæsit, quod perierat, ut etiam sudorem sanguineum emiserit,